



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 6. Cribelli Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. seu juxta alios die vigesima Junii anno
A.C. 1574. salutis millesimo quingentesimo septua-
 gesimo quarto in civitate Ambianensi
 sepultusque fuit in sua Ecclesia Ca-
 thedrali: postquam magnam pecunia-
 rum summam in supremis tabulis Ec-
 clesiis diversis ad pios usus contulit:
 eundem oratione funebri laudavit ja-
 cobus Segurier Canonicus, & Cancel-
 larius Ambianensis.

§. VI.

Cribellii Cardinalis extrema.

*Ciacon. &
 Aubery l. c.
 Andr. Villo-
 rel. in add.
 ad Ciacon.*

Tertius inter Purpuratos hoc anno fa-
 tis functus erat Alexander Cribel-
 lius Mediolanensis ex nobili Cribellio-
 rum familia natus, ex qua Urbanus III.
 Papa, pluresque alii Viri ad Beatorum
 album relati prodire. Alexander ad-
 huc juvenis profanam militiam profes-
 sus erat, in patriam vero reversus uxorem
 duxerat ibidem Senatoris munere
 functus, mortua tamen conjuge a Pio
 IV. Romam accersitus Cariatensis in
 Calabria Episcopus die decima Martii
 Anno Redemptoris millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo primo creabatur, ac
 demum Sedis Apostolicæ Nuntius in
 Hispaniam ablegabatur, quam etiam le-
 gationem obiens ab eodem Papa Anno
 Christi millesimo quingentesimo sexa-
 gesimo quinto Cardinalis Presbyter ti-
 tulo,

tulo sancti Joannis ante Portam Latinam, & postea Legatus a Latere apud Hispaniæ Regem nominabatur: inde vero Romam redux mutato Ecclesiæ suæ titulo illum de Ara Cæli assumpsit, necnon Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo octavo suum Episcopatum ultro dimisit, postquam Collegium, ubi juvenus familiæ Cribellinæ literis institueretur, in urbe ædificavit: tandem sub Gregorio XIII. cujus, uti etiam Pii V. antecessoris comitiis interfuerat, die vigesima secunda Decembris anno Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo quarto ætatis sexagesimo tertio, seu sexagesimo sexto, e vita abiit, & in Ecclesia sui tituli conditus est.

§. VII.

Aquavivæ Cardinalis decessus.

Denique quartus erat Julius Aquaviva Arragonensis ex illustri Neapolitani Regni stirpe in plurimos ramos diffusa ortus, nam ex Gioræ Comitum, & Atriæ Ducum genere descendit, fuitque natus minor Joannis Hieronymi Aquavivæ Arragonii, ac Atriæ Ducis, & Margaritæ Piæ filius, qui meritis suis, ob quorum famam Pio V. probe erat notus, hujus Pontificis gratiam promeruit, atque ab eodem utriusque ut

*Ciacon.
pag. 1061.
Gabut. in
vita Pii V.*